

fer Hebr. 5. v. 7. & seqq. & c. 6. Itaque ex modo tradendi perperam colligitur theologiam supernaturalem dividi in species.

IX. *A theologia positiva ad theologiam systematicam non valet conclusio.* Nam illa est ipsa sacra scriptura: hæc ex illâ colligitur.

CAPUT III.

De Scripturâ Sacrâ.

I. *N*egato adjuncto sive modo Scripturæ sacre non negatur ipsa res. Neque enim per Scripturam hîc intelligimus primariò ipsos characteres scriptos, sed verbum iis characteribus significatum.

II. *Non licet argumentari à fabulis Æsopi, vel scriptis Platonis, vel historiâ Taciti, vel odis Pindari ad Scripturam sacram sive tanquam à pari ad par, sive tanquam à simili ad dissimile, sive tanquam à maiori ad minus.* Nam Scriptura sacra est ipsissima Dei voluntas literis comprehensa.

III. *A testimonio Ecclesie non valet consequentia ad illius auctoritatem supra scripturam.* Nam Ecclesia testatur Scripturam sacram esse à Deo profectam tanquam depositaria & index, non vero ut iudex.

IV. *Ex ministeriali actione malè colligitur architectonica.* Sic quando ecclesia dicitur